1612.

1. Schroeterus, Bartholomaeus: De coelo in genere.

2. Schroeterus, Bartholomaeus: Tetrades IX propositionum philosophicarum cum adjunctis rationibus.

1613

1. Wendelinus, Marcus Friderius: Decas problematum philosophicorum: de philosophiae essentia, usu, praestantia, normis, consensu cum theologia, partibus

1617.

1. Schroeterus, Bartholomaeus: De constitutione et natura logicae.

2. Wendelinus, Marcus Fridericus: De argumenti definitione et distributione

1615.

1. Herderianus, Cyriacus: De defensione necessaria ex l. ut vim 3 D. de just. et jur.

1615

2. Herderianus, Cyriacus: De praedentia regnandi particulari seu de ratione status

3. Wendelinus, Marcus Fridericus: De causis in genere et in specie

4. Wendelinus, Marcus Fridericus: De subjecto et adjuncto. Decas problematum logicorum.

1618.

1. Wendelinus, Marcus Fridericus: De constitutione scientiae physicae, et principiis internis corporis naturalis, materia et forma.

1675

1. Cappelen, Henricus a: De consiliariis

1716.

1. Gnaedig, Christianus: De nuptiis.

Disputatio Physica

DE

COELO IN GENERE

Quam

Auspicio sacrosanctæ Triados in Illustri Gymnasio Servestano

PRAESIDE

Viro Clarissimo atq; Humanissimo

DN.

M. BARTHOLOMÆO SCHRÖTERO

EJUSDEM GYMNASII PROFESSORE

sanctæ linguæ & Mathematum, nec non Præceptore privato Illustriss. P P. Anhald.

Stipendiatorum,

Sobriis philosophantium judiciis & censuris ventilandam proponit.

JOHANNES STRESO SERV.

Anh. auctor & respondens.

Hora 8. ad diem 5. Februarii Anno 1612.

Servestæ Typis Zachariæ Dörfferi.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΚΟΣΜΟΓΟΝΙΑΣ

DE

MUNDI CONDITIONE

NOBILISSIMIS MAXIME
STRENUIS AC MAGNIFICIS
viris Dominis,

Dn. CONRADO A BORSTEL
Illustriß. & Generosiß. P Pr. A Anhalt:
Consiliario intimo, Tetrarchiæ Bernburgensis Proprincipi &c. in Geutzsch / Plötzkaw Güsten ꝛc.
Hæreditario.

NEC NON

Dn. Ernesto à Kötschau Clementiss. Principis Anhaltini Domini Johan Georgii summis à consiliis. &c.

ET

Clarissimo Peritiss. Dn. Philippo Salmuth Med. Doctori Illustriss. Principis Anhaltini Johann-Georgii Archiatro &c.

AC

Prudentiss. Gravissmoq; Dn. Philippo Keulichio Generosiss. Princip. Anh. Johan-Georgii præfecto ærarii &c.

Mecænatibus & Patronis, omni animi reverentiâ & subjectione prosequendis.

CUm hucusq;, Nobilissimi Strenui, Magnifici & Clarissimi Viri, in disciplinis Philosophicis diligentem operam & curam, quantum in viribus fuit, posuerim, & adhuc desiderio non minimo trahar, aliquid temporis in illis consume-

re; Cogitavi de quorundam Virorum Clarissimorum benevolentiâ mihi conciliandâ, qui hoc meum institutum promovere haud dedignentur, ne in tantis Philosophiæ finibus ut olim in atriis Minois factum, hinc atq; hinc divager. At verò ita mihi cogitanti, nullos hac in re præter vos, Viri Nobilissimi, Strenui, Magnifici & Clarissimi, promtiores ad studia liberalia promovendâ invenire licuit, quod non unicum atq; alterum, sed ferè infinita exempla VV. Liberalitatis plusquàm satis loquuntur. Non itaq; dubito quin erga me tali, quo erga alios & parentem meum semper extitistis, animo futuri sitis, cum & hinc vobis observantiâ & honore obstrictus sim non minimo. Quare nullâ demonstratione opus, ut vel vos prolectarem, judicavi, sed mearum partium esse existimavi, ut sicut olim Jovi frugum: sic & ego studiorum meorum fæturam V. N. M. &. D. in gratæ mentis Symbolum offerrem. Quapropter has theses de Cœlo in genere, quæ prima in campo Philosophico sunt mea digladiatio, V. N. M. & D. dedicare & inscribere volui, majorem in modum rogitans ut serenâ fronte accipere, meq; vestro consilio & auctoritate juvare & promovere haud dedignemini.

V. N. M. & D.

observantiss.

Iohannes Streso.

THESIS I.

GRaviter Aristoteles licet Ethnicus scriptum reliquit. 1. De cœlo cap. 3. πάντες οἱ ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσι ὑπόληψιν, καὶ πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι, δηλοῦντες, ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὸ ἀθάνατον συνηρτημένον, *hoc est, Omnes homines quandam de DEO habent existimationem, omnesq; divinis rebus supremum locum tribunt, significantes, quod immortale immortali non sit inconveniens.*

2. *Hinc non absurdè videtur cecinisse Poeta:*
Pronaq; cum spectent animalia cetera terras,
Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri
Iussit & erectos ad sidera tollere vultus.

3. *Rationali igitur creaturæ videlicet homini non videtur esse incongruum, si de supremo divinis rebus dicato loco cœlo nimirum collocuturi, aciem mentis ad placidam* συζήτησιν *intendamus, quam in Essentialem & Accidentalem commodè dispescimus.*

4. *Principio itaq; essentialis cœli contemplatio proponet ea quæ rei sublistentis essentiam illustrant, qualia sunt definitio & principia; Cum enim tota physica scientifico progressu subiecti inquirat principia & affectiones juxta ea quæ sunt* (2. περὶ τῆς ἀποδείξεως 4. & 1. post. anal: 2.) *Cœlumq; sit corpus physicum, necessariò igitur ipsius definitio & principia constitutiva ponenda sunt, methodo compositivâ requirente.*

5. *Deinde à genere ad speciem, ab universalibus ad*

particularia descendendo accidentalis consideratio affectiones docebit: Quæ sunt Quantitas, Qualitas & Actio. Et qualitates quidem sunt, cùm primæ hæ: subtilitas, Indissipabilitas, immutabilitas & rotunditas: tum ortæ lux & lumen. Sic & actiones ejusdem per motum & lucem manifestè: Et per occultas quasdam qualitates nominatæ influentiæ. Et legitimam hanc esse cœli consideratio-nem, vel inde patet, quod apud Aristotelem Omne Ens dividatur in substantiam & accidens.

6. Sed cum vocabulum Cœli æquivocum sit, necesse est ante omnia distinguatur, sumitur enim 1. Pro primo mobili, quod spacio viginti quatuor horarum alios orbes secum conversione suâ rapit. 2. Pro æthere, primo & secundis mobilibus constante. 3. Pro habitatione Sanctorum. 4. Pro aëre ut volucres cœli Ps. 8. & Gen. 4. & 5. Denique pro nubibus, quia vulgus Nubes primum & cæleste corpus esse putat, inde etiam Hebræis cœlum vocatur schamajim Danæus tract. 5. c. 2. August. sup. Genesin. Nos verò in significatu secundo intelligimus.

7. Definimus verò Cœlum corpus naturale simplicissimum, pellucidum, solidum, sphæricum, ab elementari inquinatione maximè liberum, & in orbem mobile.

8. In hac definitione duo sunt consideranda, definitum & definitio ipsa constans suo genere & differentia specifica seu quodidem est materiali & formali.

9. Definitum est cœlum Corpus naturale, quia constat suis principiis, materia scilicet & forma, ut in sequentibus fusiùs dicetur, alioquin enim nulla de cœlo possit demonstrari actio, nisi esset naturale corpus.

10. Definitio ipsa cum sit definitio essentialis duas habet partes, genus seu materiale, & differentiam seu formale.

formale. Genus continetur in eo, quod scilicet sit corpus naturale. Formale seu differentiam suppeditant epitheta, ut sunt simplicissimum, lucidum, sphæricum, elementaris inquinationis immunitas &c. quæ omnia ordine sunt explicanda.

11 Simplicissimum est corpus cœleste, si simplicitatem intelligas, non quatenus apponitur similari aut composito, sic enim habet suam materiam & formam, sed quatenus opponitur misto. Licet enim cœlum sit compositum ex materiâ & formâ: nihilominus tamen cùm ab elementari inquinatione liberum sit cœlum, recte illud simplex, imò propter perpetuam incorruptibilitatem simplicissimum appellamus.

12. Et quidem eò propter simplicitatem præstantius est, quò à terrâ magis distat, quod Aristoteles lib. 1. de cœlo cap. 2. text. 16. innuisse videtur: Tantò præstantiorem habens materiam, quantò plus ab istis corporibus distat.

13. Pellucidum cœlum esse testantur sensus, qui in cœlo lucem qualitatem scilicet nobilissimam contemplantur, quæ mediante lumine potissimum in hæc inferiora agit, ut in sequentibus dicetur, quæ adeo manifesta sunt, ut, quì negare ausit, non in rationis gyrum ducendus sit, sed ex sent. Scoti lib. 1. sent Teste Iacob. Mart. tormentis exponendus tamq; diu excruciandus, donec fateatur possibile esse se non cruciari.

14. Solidum cœlum est, quæ tamen soliditas, non tantam sibi adjũctam habet densitatem, quò minus astra, in diversis orbium sphæris constituta, videri possint. Quia potius substantiæ adeo subtilis & limpidæ est cœlum, ut per se videri nequeat, unde tamen inferri nequit, cœlum

non

non esse corpus: habet enim longitudinem, latitudinem & profunditatem, quæ corporis inseparabiles sunt affectiones. Eucl. lib. 1. elem.

15. *In orbem est mobile & Sphæricum, 1. quia figura rotunda est simplicissima, propterea, quod unicâ constet lineâ, corporiq; simplici convenientissimâ. 2. quia ad motum velocissimum est accommodatissima.*

16. *Denique quod cœlum sit ab elementari inquinatione liberum constat per se. Non enim est corpus mistum sed simplex. Ideoq; non alteratur, neq; physice aut generatur aut corrumpitur.*

17. *Nec cœlum est elementare, vel ex elementis compositum, si enim igneum omnia propter incensum aërem conflagrarent, si esset aqueum, motu rapidissimo calefactum liquesceret sponte. Si enim aëreum propter summam levitatem ultimo termino circulari non clauderetur, si terreum tum ad motum rapidissimum propter gravitatem ineptum, tum etiam propter nimiam ariditatem & remotam ab aquis distantiam non cohæret, sed ex friabilitatis naturâ ultrò collaberetur.*

18. *Fuit definitio, sequuntur principia ad intrinsecam cœli constitutionem concurrentia, materia scilicet & forma de quibus etiam aliquid dicendum.*

19. *Materiam habere cœlum inde constat. 1. quia est corpus cujus proprium est præsupponere materiam Plat. lib. 4. c. 6. in Timæo. 2. Quia unumquodq; sub aspectum cad. t ratione materiæ. Tale est cœlum. Ergo 3. Quia cœlum est Ens mobile, Ens autem mobile ex materia & forma constat. Arist. 2. Phys. c. 1. E cœlum habebit materiam.*

20. *Qualis autem sit illa materia valde controvertitur inter autores, dum alii eandem illam cum inferioribus esse existimant. Alii illam à sub lunaribus diversam*

esse

II. An Homo nisu suo seu conamine ad Objectum fiat gravior;

Aff. Quia, vel Spiritus intra corpus retenti condensantur, ut si quis amphoram ciconiâ putei suspensam conamine deprimat: Et sic suâ mole corpus gravant; vel quia non moventur, sed quasi collapsi subsident, ut fit in ebriis & ægrotantibus; vel deniq; hoc fit impetu agentis, ut pondus etiam gravius agente attollatur.

III. Melius odorant, qui faciem habent depressam & nasum simum:

An 1. Quia alæ sunt ampliores & plus aëris recipiunt? 2. Vel quia factæ sunt depressione longiores & angustiores. atq; sic aër commotus penitiùs ad cerebrum pervenit? 3. Vel quia propinquius factum est instrumentum odoris instrumento Gustus, videlicet ori? Nam experientia testatur, quod non olfacientes, parum aut nihil gustu percipiant, propter cognationem instrumentorum, sicuti etiam fit in surdis & mutis.

IV. An Aristoteles lib. 2. de part. anim. c. 2. *rectè dixerit: Aquam ferventem esse calidiorem igne?*

Affirm. Quia loquitur ibi de calore actuali, id est, vi urendi non vero de calore potentiali, id est, de calore, cui non est adjuncta vis urendi: Ignis enim non urit, sive urere non est proprium ignis, quatenus est ignis per se, sive elementaris sed quod ignis urat, inde est, quòd sit in crassâ minusq; dissipabili materiâ.

TETRAS IV.

Chemica.

I. An effecta artis ad effecta naturæ referenda?

Neg. Quia revera aliud est artificiale, quàm naturale; sicuti ars aliud est, quàm natura. Nam quæ ab arte sunt, per accidens tantùm sunt naturalia, ait *Aristot. 6. Phys. c. 1.* adducens exemplum de lectica. Quæ verò sunt naturalia, per se & propriè sunt naturalia.

II. An sal Chemistarum quod ex qualibet re, etiam lapidibus durissimis, ut silice, & id generis aliis extrahunt, sit sal naturâ rebus inhærens, materiæ immixtus & insipidus; an verò sit sal adscititius & potius ex corporum perignem corruptionem ortus, sapidusq; ut videmus ex cineribus uniuscuiusq; rei, aquam dulcem percolatam fieri salsam, eandemq; percoctam salsuginem pro sedimento retinere dulcedine evaporante, cuius rei etiam ipsum mare testimonium est sufficientissimum?

Affirmatur posterius.

III. An minera metallorum in metallis excoctis sive igne purgatis maneant adhuc in suo esse?

Neg. Quia igne usuali resolvitur & extinguitur; Hic labor, hic saltus est Chemistarum. Ergo si poterunt opus illud, quod est ipsius Dei, & ejus organo naturæ, verbo Dei concessum, nempe generare sive sine igne metalla à suis scoriis separare, & posteà Athanur, hoc est, furnulum suum Philosophicum radiis solaribus & influentiæ cœlesti proportionatum instituere & custodire, poterunt etiam Elixir auri verum extrahere, quo deinde alia metalla tingere, perfectiora reddere & multiplicare valebunt. Aliâs Alchemia illud laudis

semper

ſemper habet, quod ſit ſpecies quædam tentationis divinæ, propter cauſas quinque à *Keckermanno lib. 5. cap. 4. Phyſ.* adductas.

IV. An ſolum aurum omnium Metallorum ſit perfectum; reliquæ verò ſpecies ſint imperfectæ, poßintq; ſpermate auri, dicto lapide Philoſophorum perfici?

Neg. Quia omnis ſani Philoſophi, naturam ſcrutantes teſtantur, quamlibet Metalli ſpeciem in ſuâ naturâ eſſe perfectam, quoniam ſuâ formâ ſpecificâ conſtant & materiâ proximâ appropriatâ, quæ nullam aliam recipit formam præſtantiorem & digniorem, ut auri, quacunq; accedente arte. Dehinc quia in toto Chemico opere omninò natura quieſcit, & ſola Ars ſubjectum movet, atqui ars naturam quidem imitatur, ſed non eidem æquiparatur. Præterea, quia Phyſicæ, hoc eſt, veræ rerum formæ in inſtanti inducantur, ſintq; eductæ ex potentiâ materiæ, lapis verò Philoſophorum non ſit nuda auri argentivè forma à ſuo abſtracta concreto, ſed auri puritas ſumma, quæ potens eſt tingere ſolùm, non commutare adjecta metalla loco materiæ, nullâ accedente verâ perfectione, quæ fieri ſolet, multis præcedentibus alterationibus. Ergo notetur hoc morale de iſto lapide:

Multùm jactatur magnus lapis iſte ſophorum,
Sedulitas bona res, hanc cole, dives eris.

TETRAS V.

Cheiromantica.

I. An lineamenta manuum unicuiq; per totum vitæ suæ tempus maneant eadem; an verò mutentur?

Distinguitur. Principales signaturas modò pallescere, modò rubore quodam florescere, negari non potest, ast prorsus deleri pernegatur. Minus verò principales subinde evanescere, suboriri etiam alias aliâ facie, rursus notissimum est unicuiq; rem diligenter observanti, idq; vel ob ætatē, vel ob labores peractos, vel ob aliam corporis Crasin, cùm successu temporis ipsum temperamentum etiam mutetur.

II. An ex lineamentis manuum possit colligi aliquid de præteritis, præsentibus & futuris in statu, itemq; ætate, cujusvis hominis?

Aff. Quia Moses revocat populum ad signaturas manuum, enarrans ipsi præceptum Dei de Paschate, *Exod. 13. v. 9. Et erit quasi signum in manu tua.* Item, *Hiob. 37. v. 5. 6. & 7.* manifestè inquit, manuum signaturas non frustrà factas, hisce verbis: *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.* Sic & *Ecclesiast. 49. v. 13.* fit mentio hujus signaturæ: Item, *Esa. 49. v. 1.* Deus de se loquitur ex hac ipsâ signaturâ.

III. An in utroq; sexu ex dextrâ, an verò ex sinistra sit judicandum? aut num in viro dextra, ut quidam docuere, & in feminâ sinistra tantùm sit adhibenda?

Affirm.

Affirm. ult. Quia constat apud omnes in alterutrâ manu lineas & reliqua signa sæpissimè esse manifestiora, cōcinnitatéq; magis perspicua tam in mare, quàm in feminâ, ideôque ea manus ad judicandum introducenda est, in utroq; sexu, quæ lineas monstrat exhibetq; clarissimas, characterumq; ac signorum serie abundat: ita tamen, ut subsidio quoq; veniat altera, lineis obscurior. In ambabus manibus si perspicuè ac concorditer enitescant lineæ, fortunæ ac sanitatis constantiam declarant.

IV. An nubeculæ seu variolæ unguium in Cheiromanticis aliquid habeant significare?

Affirm. Cùm ungues clausulæ nervorum summæ existimentur, qui à cerebro cœlo analogo oriuntur, omninò nō ἄσημοι erunt ejusmodi maculæ unguium. Etenim dupliciter considerari possunt, primùm, ut sunt ab influentiâ spirituum turbatorum & humorum crassorum ipsius corporis humani, & sic temperamenti conditionem significabunt, ex quâ vel mala vel bona valetudo innotescit: Secundò, ut sunt ab influentiâ cœlesti, quæ ex motu & luminibus astrorum firmamenti in hæc inferiora imprimitur, & sic vitæ & fortunarum statum declarabunt.

TETRAS VI.

Metaphysica.

I. An Abstractio sit omnium disciplinarum communis?

Disting. Ἀφαίρεσις Abstractio, seu ut *Scal. Exerc.* 348. vertit, Ablatio tripliciter consideratur: Alia enim est Metaphysicæ propria, quæ abstrahit à materiâ tam αἰσθητικῆ quàm νοητικῆ, est inprimis Entium æternorum & immobilium, quæ omnem concretionem excludunt negativè & simpliciter, *6. Meta. c. 1.* Alia est Matheseos propria, ac proinde κατ' ἐξοχὴν ἐξ ἀφαιρέσεως dicta, quæ rerum quantitatem, φαντασίας beneficio à materiâ αἰσθητικῆ, non verò νοητικῆ abstrahit, ut si Geometra ait: Omne triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, considerat angulum per se, non quatenus est in corpore; vel in hoc corpore. Hæc excludit omnem concretionem στερητικῶς & definitè. Alia deniq; est omnibus disciplinis communis, quæ abstrahit à materiâ tantùm singulari; non verò universali, ut Mathesis, ut, si Physicus dicat animal vel hominem, significat ea abstracta quidem ab hoc vel illo corpore, sed non à corpore simpliciter. Itaq; hîc præter ἀφαίρεσιν spectatur etiam concretio.

II. *Sitne vita corporis vivi substantia an Accidens?*

Est neutrũ. Variè se hic torquent Philosophi, quid itaq; sit? *Taurellus* dicit, nec esse substãtiam, nec qualitatem; Item referre quodammodo inter actum primum & secundum. Item esse vigorem substantiæ viventis assiduum, adeoq; effectum. Et deniq; posse dici ἐντελέχειαν, hoc est, continuatam ac perennem motionem. Sed *Reckerman.* rectè distinguit inter vitam absolutè consideratam, & inter vitam totius cõpositi, statuitq; vitam corporis vivi esse modum quendam substantiæ adhærentem, sive esse præsentiam & unionem formæ cum materiâ, ejusq; unionis durationem sive continua-

nuationem. In Metaphysicis enim docetur, quòd existentia rei, nec sit substantia nec accidens, sed modus quidam rei: Vita autem est species quædam existentiæ, sive est specialis quædam existentia, cõpetens corpori vivo: ideoq; vita modus quidã est vivi corporis, non autem propriè loquendo accidens corporis vivi.

III. Constitutio individui, sive unitas numeralis sitne adscribenda materiæ vel formæ, vel modo alicui existentiæ?

Calculum tribuimus formæ, & quidem non abstractæ sed materiatæ cum *Zabarellâ*. Nam Materia per se non habet existentiam: Modi vero existentiæ sunt entis affectiones, & hę nulli suũ esse tribuunt. Relinquitur ergo solam formam, quæ secundùm se sumta rei essentia est, & quoddam universale, quodq; vel communicabile pluribus vel incommunicabile est; & quidem postquam materiæ, causæ nempe sine quâ non, sit conjuncta, appropriatæ singularitatis causam esse. Etenim Forma domina quodammodo est existentiæ, & sola dat existentiam; Materia verò est ministra quædam, quæ formam sustinens illi famulatur ut existat, & sic existens constituat hoc individuum distinctũ ab aliis.

IV. An mundus sit æternus?

Disting. Si de actu intelligatur, falsum est, & meritò à Christianis philosophis rejicitur, ut qui longè aliter ex Mose sunt eruditi. Si verò de potentiâ accipiatur, verum est: Nam licet hic motus non sit de facto æternus; eâ tamen naturâ est motus circularis cœlestis, ut æternus esse possit. Quandoquidem verum est Theologicè & Physicè, quod physicè cœlum nec sit generatum, neq; corrumpatur; Quia Creatum: Ergo non physicè ortum. Præterea in extremo die non corrumpe-

rumpetur cœlum physicè, quia corruptio unius est generatio alterius: Sed in nihilum redigetur, quod physicè fieri nequit. Nam secundum physicum axioma: *Ex nihilo nihil fit*; Inversio quoq; vera hæc erit: *Ex aliquo non fit nihil.*

TETRAS VII.

Arithmetica.

I. An Unitas Arithmetica sit numerus, & ideo divisibilis?

Neg. Quia 1. non est multitudo. 2. non dividitur in partes. 3. Punctum Mathematicum non est magnitudo. 4. Numero convertitur cum individuo, quod est indivisibile. 5. Est principium & materia numeri, quæ non sunt principiatum & materiatum.

II. An præter duas has proportionis species, Arithmeticam, *quâ, tribus aut pluribus numerorum terminis positis, neglecta Rationum similitudine sola differentiarum æqualitas custoditur: &* Geometricam, *quâ, positis tribus aut pluribus terminis, neglectâ numerorum differentiâ, tantum similitudo Rationum observatur; posit admitti adæquata tertia* Harmonica, *ut quidam volunt, quæ, positis tribus terminis, neglectis differentiis & Rationibus, eos sic cõfert; ut Maximus ad minimum, sic differentia maximi & medii ad differentiam medii & minimi, ut sunt 3. 4. 6. & 4. 6. 12?*

Negatur.

Negatur.1. Quia est *αναλογία* in hac planè confusa, videlicet directa & inversa. 2. quia fit collatio terminorum & rationum.3. Quia est solùm in tribus terminis, Ergo specialis quædam affectio. 4. quia est affectio proportionis Geometriæ. Peccatur itaq; in Canonem divisionis: *Divisio vera debet fieri per ea, quæ toti insunt, non autem per extrinseca & toti accidentaria.*

III An per Regulam falsi tam unius quàm duarum positionum, possint exempla secundæ tertiæ & quartæ Regulæ Cossæ seu Algebræ solvi, ut vult Gemma Frisius, *contra* Christophorum Rudolphum à Iaur, *affirmantem regulam falsi solùm ad primam Cossæ posse applicari, esseq; impossibile, ut ullum secundæ, tertiæ & quartæ Cossæ per falsam expediri possit?*

Stamus à partibus Gemmæ, uti id ipsum in Arithmeticis præceptis nostris demonstravimus ante annum propositis.

IV. An unitas rectè principium & formale & materiale, & efficiens & finis, ut vult Scal. Exerc.365. Dist.1. *existat?*

Aff. Materiam esse nemo dubitat. Est etiam efficiens, quippe principium creans numerum. Finis quoq; est, quia conveniunt omnes unitates, ut sit numerus: Et; omnis numerus sicut inchoatur, ita & terminatur ab unitate. Quod verò unitas etiam sit forma, inde manifestum est, quod ipsa addita variet speciem, & affectum speciei, Par & impar.

TETRAS VIII.

Astronomica.

I. Cum Astronomia & Geographia sint partes Cosmographiæ, quæritur, utra præcedere debeat?

Astronomia. 1. Quia sine hac θεωρία ignoratur, quæ regio in quam mundi plagam vergat; unde sit calor & frigus in quovis climate, cur dies certis in locis sint noctibus æquales, aliis atq; aliis in locis breviores & longiores, cur venti ab aliâ parte spirantes sint calidiores, humidiores & sicciores, quàm ab alterâ. 2. quia cũ disciplinæ sint suorum invicem principiorum probatrices, fit ut & Astronomia probet & exhibeat principia Geographica, vid. Quantitatem circumferentiæ ex situ seu elevatione poli observatâ, in duobus locis sub uno & eodem Meridiano positis: Itemq; omnes ferè circulorum cœlestium hypotheses terræ accommodat.

II. An præter usitatos quinq; Planetarum adspectus plures possint constitui, eâdem ratione, quâ illi à veteribus assumti?

Affirm. Non fortuitò vel casu â veteribus adspectus hos, *Conjunctio, Sextilis, Quadratus, Trigonus & Oppositio*, esse inventos, cogitandum est, sed ex ipsâ mundi pulcritudine, de quâ *Salomon Sap. 11. v. 21.* dicit, *Deum omnia numero, pondere & mensurâ disposuisse*, desumtos: Et quidem ex pulcritudine illâ, quam Deus in cũcinnitate binorum inter se radiorum, seu lucis seu corporis inna-

ta

cà potentiâ operantis constituit, & per abstrusissima Geometriæ figuratæ arcana hominibus petenda, intelligenda & comprobanda posuit. Non secus ut & proportiones Vocum seu sonorum in Musicâ solùm illæ; quæ ex figuris scibilibus oriuntur, concordantias suas habent, ob quas natura lætatur: Ita & in radiis Planetarum omnes proportiones, quæ in collucentiis istis aliquid operationis in subjectam naturam habent, ex figuris scibilibus, & non ex non-scibilibus, desumtæ sunt. Est vero figura scibilis, figura angularis, quæ ex certa positione seu regulâ mathematicè probari possit, habere & omnes angulos æquales, & quodlibet angulorum latus regulare, hoc est, numero certo & integro ad ejusdem figuræ angulis peripheriæ communis diametrum proportionale, sive in lineâ longâ, sive in potentia quadratâ, sive in ablatione Gnomonis quadrato rationali, sive in cubis similiter. Res clarior fit ex collatione vocum concordantium seu Ἀγπασῶν, hoc est, octavæ perfectæ intervallorum & adspectuum dictorum. Sunt vero intervalla octavæ *quatuordecim*, ex quibus *novem* sunt concordantes, *quinq;* vero discordantes. Et tot etiam adspectus constitui possunt. Ex quibus tamen solummodò ad usum Astronomicum assumti sunt ii, qui conveniunt cum figuris Geometricis scibilibus seu commensuralibus & concordantiis Musicis, nec tamen omnes, ut in Sphæricis nostris docui, & videre est ex sequentibus tabulis.

Partes seu intervalla Ἀγπασῶν.



Num.

Collatio ad ſpectuum Aſtronomicorum cum Intervallis Muſicalibus & figuris Scibilibus.

Num.	Nomina adſpectuum.	Intervalla Graduum.	Char.	Sp. mag.	Nomina ſpecierum Magnitudinis ex diſtant. & Forma.	Intervallorum muſicalium nomina & menſuræ cum ſuis characteribus.		Int. reject.	Qui autores quos adſpectus probaverint.	Vocum ſeu ſonorum muſicalium nom.
14.	Oppoſitio	180.	☍		Διάμετρος καὶ παν-	Diapaſων	1-11-1			8. perfect.
13.	Sesquidecilis	162.	⚻		σελήνη	Semidiap.	-11-11-	R		8. Imperfect.
12.	Biquintilis	144.	⚝			Dit. cum Diap.	11-111	R	Keplerus	7. perf.
11.	Sesquiquadrus	135.	⚼			Semidit. cum Diap.	1-111-	R		7. Imp.
10.	Triuus	120.	△	3.	τρίγωνος καὶ ἀμφίκυρτος	Ton. cum Diap.	11-11			6. perf.
9.	Tridecilis	108.	⚻			Semit. cum Diap.	-111-		Keplerus	6. Imperf.
8.	Quadratus	90.	□	4.	τετράγωνος καὶ δίχορδον.	Diapente	111-			5. perf.
7.	Quintilis	72.	⚝	5.		Semidiapente	-111	R	Keplerus	5. Imp.
6.	Sextilis	60.	✶	6.	πενταγωνος.	Tritonus	111	R		4. perfect.
5.	Sesquadrus	45.	Γ	8.	ἑξάγωνος καὶ μηνοειδὴς	Diateſſaron	-11		Keplerus	4. Imp
4.	Decilis	36.	X	10.	ὀκτάγωνος	Ditonus	11		Keplerus	3. perf.
3.	Semiſextus	30.	T	12.	Δεκάγωνος	Semidit.	-1		Kepler. & David	3. Imp.
2.	Sesdecilis	18.	/	20.	εἰκοσάγωνος	Tonus	1-		Fabricius.	2. perf.
1.	Seſſemiſextus	15.	—	24	τριακοσάγωνος	Semitonium	-			2. Imp. mollis ſeu minor.
0.	Conjunctio	0.	☌		ζυγία καὶ νεομανεία καὶ σύνοδος.	Uniſonus	0			

III. *An scientiæ illæ tres,* Astronomia, Musica & Optica, *cum Aristotele & Zabarellâ ad Mathesin potius, quàm ad Physicam referendæ sint?*

Aff. Prius. Aristot. *2. Phys. c. 20.* ait, eas τῶν μαθημάτων φυσικωτέρας εἶναι, id est, magis quidem esse naturales, quàm Arithmetica & Geometria sint, referri tamen potiùs ad Mathesin, quàm ad Physicam posse: *vel ut alii,* medio sese modo habere, & diverso respectu ad Physicam, itemq; ad Mathesin spectare, cõtrarium statuentes iis, qui non sine ratione Mathesin cum Platone ajunt esse περιαιρέσιν quandam Physices, & concurrere in tribus istis scientiis Physicis, *Astronomiâ Musicâ & Opticâ*, usum & exercitium Matheseos, sicut Logices usus in omnibus disciplinis.

IV. *An adspectus sint contrarij?*

Aff. Cum adspectus oriantur ex figuris harmonicis, & hæ contrarietatem non habeant, quia sunt Quantitates, quæri potest de adspectuum contrarietate, adeoq; effectu. Sed sciendum est, esse Quantitates qualitativas, hoc est, habere alteritatem; ut majus & minus; fortius & remissius; regulare & irregulare; æquabile cum diametro, inæquabile; rationale latus, ratiõale quadratum lateris: relictum quadratum lateris ex quadrato rationali, ablato rationali cum cõplementis: Compositum quadratum lateris ex quadratis rationalib. figurâ cõpletâ &c. Annon hæ sunt differentiæ manifestæ gradus rationalitatis & æquationis. Ergo si juxta hunc figurarum Archetypum natura suas operationes instituit, multum differentes effectuum Gradus existere possunt.

TETRAS IX.

Geographica.

I. *An Geographia sit prior scientiis Mathematicis, propriè dictis, utpote Arithmeticâ & Geometriâ?*

Neg. 1. quia his utitur velut instrumentis siue quibus non. Unde sequitur; *Sine quo ad posterius aditus non datur, de eo prius est cognoscendum aliquid*: At sine his non datur aditus ad Geographiam. Ergo. 2. Quia Geographia est Cõcreta. *Abstracta verò ordine naturæ & methodi scientiarum præcedunt.* Hinc vulgò ad Μαθήματα, quæ *Aristoteles* Φυσικώτερα (quorum Objectum est τὸ αἰσθητὸν, id est, sensibile.) vocat, refertur.

II. *An in doctrinâ Dimensionis terræ, Geographica Dimensio* τῆς περιφερείας *seu* τὸ περιμέτρον *prior sit Dimensione terræ?*

Aff. In Geographia duæ lineæ, ut principia hujus scientiæ formalia quarũ *una* (περιφέρεια) circularis est, & superficiei terræ circũquâq; obtẽditur; *Altera* (Διάμετρος) *Recta*, quæ per centrum terræ trãsmissa ad περιφερειαν excurrit. Hisce postea reliqua, quæ globo terrestri insunt, ut est totius globi amplitudo, item crassities seu molis solidæ gravitas, &c. accidentia demonstrat. Dignitas tamen inter illa duo principia prioritatis est, quam jure meritò περιφέρεια sibi vendicat, quia ex hac omniũ primò quantitas Diametri innotescit: unde sequitur: *Id quod ex alio innotescit, posterius esse doctrinæ ordine quàm id ex quo innotescit.*

III. An

III. *An fortuitò vel propter certas causas globi terrestris superficiei Geographi initium fecerint in Insulis Beatis seu Cannariis sitis in Oceano occidentali?*

Omninò propter causas certas, & quidem 1. Propter ἀναλογίαν globi cœlestis, qui initium sumit ab Ariete tempore æquinoctii verni, quo tempore mundus à multis creatus existimatur. 2. Quia ad meridiem quarti diei mundi, qui respondet 24. Aprili, si annos Julianos retrò cogitemus, & incidit in diem Mercurii, quo tempore Sol & Luna itemq; stellæ sunt creatæ, & sphæræ cœlestes moveri cœperunt. Sol habuit 1. gr. 20. min. Arietis. Hinc sequitur, circa vesperam *hor. 6.* (à qua scriptura dies naturales incipit, juxta illud, *Gen. 1. Et erant vespera & mane dies unus*) *1. gr. 38. min.* Arietis fuisse in occasu. 2. Sequitur, per subtractionem motus diurni Solis pro 4. diebus antecedentibus analogis, qui est 3. gr. 56. min. quod Soli, si fuisset creatus, locus attribuendus esset min. 42. gr. 28. Piscium, tempore initii creationis. 3. Causa nō minima & hæc esse potest, quod lingula magnetica ad Meridianum dictarum insularum planè incumbit ipsi lineæ meridianæ. In reliquis verò locis cis & ultra hinc vel illinc ab eadē discedat, uti nautica experientia hoc ipsum edocuit manifestissimè. *Videantur descriptiones navigationum susceptarum in Americam, & ii, qui de naturâ lapidis Magnetici scripserunt.*

IV. *Cùm variæ sint opiniones de objecto Geographiæ Terrâ,* An videlicet cum aquâ unum constituat globum, qui in medio mundi sit immobilis; *Nos veterum, ut Ptolomæi, & qui hunc sequuntur*, contra *Copernici* sententiam, & ejus asseclas, defendemus. *Esse scilicet*

terram

Terram & Aquam unum globum in medio Mundi immobilem.

Arist. Rhet. ad Alex. c. 1.

Καθάπερ δὴ φυλακτικὸν σώματος ὑγίεια· ὅτω τῆς ψυχῆς φυλακτικὸν καθέστηκε παιδεία. Καὶ, εἰ τὸ τοῖς ὀφθαλμοῖς βλέπειν ἡδὺ· τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμασιν ὀξυδερκεῖν, δὴ θαυμαστόν.

FINIS.



AM

Physica

E

INGE-

R E

m

æ Triados in Illu-

Servestano

SIDE

q, Humanissimo

.

ÆO SCHRÖTERO

ASII PROFESSORE

matum, nec non Præ-

strifs. P.P. Anhald.

atorum,

n judiciis & censuris

n proponit.

TRESO SERV.

respondens.

bruarii Anno 1612.

achariæ Dörfferi.

1612, 1.